

torum mittere, ut postea ipse veniens in præsentia absolvat.

LVIII. Arguitur tertio: Quia in extrema necessitate hoc licet; ergo absolute est validum sacramentum etiam in absentia sacerdotis. Antecedens patet, quia ita post Clementem VIII, videtur determinari in rituali Romano Pauli V, in rubricis de sacramento poenitentiae, ubi dicitur: « Quod quando infirmus amittit loquelam, et confessarius accedit, procuret ejus aliquod peccatum cognoscere; et quocumque modo, sive in genere, sive in specie, sive per se, sive per alium peccata cognoscat, absolvat enim; » sed hoc quod est peccata per alium cognoscere, non contingit nisi quando poenitens non potest in præsentia sacerdotis manifestare peccata, sed aliqui testificantur dedisse signa poenitentiae ante amissum sensum; ergo in aliquo casu valere potest confessio facta in absentia sacerdotis. Nec sufficit dicere, quod ipse sacerdos in illo casu est præsens poenitenti, quando data absolutionem, et perficit sacramentum; et hoc solum pontifex vult. Nam illa præsentia poenitentis sine sensu non est præsentia ipsius confessionis, sed est præsentia physica illius corporis, seu hominis moribundi, quæ nihil magis conducit ad sacramentum poenitentiae, quam præsentia lapidis, vel ligni. Si enim ipsa confessio non est præsens sacerdoti, quid refert illum hominem esse physice præsentem; alias posset etiam dici, quod si quis mitteret litteras de peccatis sacerdoti, posset postea superveniens homini illi, etiam dormienti, impendere absolutionem, quod est absurdum: ergo requiritur præsentia moralis et humana, et non solum physica.

LIX. Arguitur quarto: Integritas confessionis est per se et essentialiter requisita ad sacramentum, et

tamen in extrema necessitate sufficit aliquod peccatum confiteri, quia solum illud est possibile: ergo similiter, licet per se requiratur confessionem fieri in præsentia sacerdotis, tamen si pro aliquo casu illa non est possibilis (verbi gratia, propter infirmitatem, aut clausuram poenitentis vel sacerdotis) sufficit præsentia moralis per litteras, quia illa solum est possibilis. Ultimo arguitur: Quia non apparet in quo fundetur hæc necessitas præsentiae poenitentis et confessarii; non in expressa Christi institutione seu præcepto, quia non extat; non in consecutione necessaria ab institutione Christi, sive ex parte materiae, sive ex parte formæ; nam hoc sacramentum institutum est per modum iudicii, quod ex natura sua potest fieri in absentem; sicut matrimonium, quia ex natura sua est contractus, qui potest inter absentes celebrari, etiam in quantum sacramentum potest inter absentes fieri: ergo similiter cum iudicium ex natura sua possit fieri in absentem, et reus in iudicio possit suam confessionem, vel defensionem tradere per scriptum, in absentia iudicis, etiam id poterit fieri in hoc iudicio, quatenus sacramentum est.

LX. Ad primum respondetur, quæstionem hanc nunquam fuisse circa ipsam confessionem quoad rationem liciti tantum, sed etiam quoad rationem validi; an scilicet factum teneret, si quis in absentia confiteretur. Et sic fuit proposita quæstio pontifici, et hoc modo res est intellecta ab omnibus doctoribus et fidelibus; imo non potest hic servari ratio liciti a ratione validi, quia si est illicitum poenitenti confiteri in absentia: ergo sic confitendo peccat; et cum scienter id faciat, nullum sacramentum facit, quia scienter in peccato accedit; nec potest excusari ignorantia, quia

videt oppositum esse universalem praxim Ecclesiae. Constat autem, quod hoc præceptum, si datur, poenitenti est impositum, cui non licet absenti confessario confiteri; onus autem confitendi ipsi poenitenti incumbit: ergo si poenitens in absentia confitetur, illicite facit, et cum peccato accedit. Denique hoc præceptum neque invenitur expresse positum a Christo Domino, neque seorsum ab Ecclesia, sicut præceptum de miscenda aqua in calice, et de aliis cæremoniis sacramentorum: ergo si non licet sic confiteri, ideo est, quia ex natura talis sacramenti id postulatur, et sic si non fiat, factum non tenebit.

LXI. Ad secundum respondetur, non solum damnari copulativam, sed etiam divisivam propositionem; ita quod confessioni in absentia factæ nunquam liceat absolutionem impendere, neque veniendo, et in præsentia illam impendendo; non mittendo illam, quia jam hoc esset utrumque copulare, scilicet confiteri in absentia, et absolvere; non veniendo ad præsentiam poenitentis post litteras peccatorum missas, et ibi absolvendo, quia vel in præsentia sacerdotis poenitens ratificat confessionem, petitque absolutionem, vel non, sed tantum sacerdos in præsentia absolvit eum virtute scripti ad se missi; si primum, jam fit confessio in præsentia sacerdotis, quia idem est scriptum illud ratificare in præsentia et absolutionem petere, atque confiteri; certificatur enim in præsentia sacerdos de statu poenitentis: si secundum, est perinde atque absolvere in absentia, et eadem inconvenientia sequuntur, quia per talem præsentiam non magis certificatur sacerdos de statu poenitentis quando profert absolutionem, quam per scriptum certificabatur;

et potest contingere quod poenitens mutaverit voluntatem, et actu nunc peccet quando sacerdos profert absolutionem; unde de præsentia non habet materiam quam tali absolutioni subjiciat, quia ignorat illam de præsentia.

DE MORIBUNDO.

LXII. Ad tertium respondetur, in primis verba rubricæ in rituali Pauli V, non omnino esse clara, quia quando dicit: « Quod sive peccata per se, sive per alium cognoscat, eum absolvas, » ly per alium potest intelligi per interpretem, quando ille infirmus taliter est impeditus, quod licet habeat sensum, non tamen potest intelligi a sacerdote, etiam per nutum, vel quia est alterius linguæ, vel ex alio impedimento: vere tamen non existimo sic esse restringendam illam rubricam, sed loqui pontificem simpliciter, quando infirmus petivit confessionem sacerdote non præsentem, et postea superveniens sacerdos invenit ipsum sine sensu, et per alios cognoscit statum poenitentis; in tali enim casu non confitetur ille sacerdoti absenti, sed præsentem, ea præsentia quæ sufficit ut certificetur sacerdos de statu poenitentis, quando profert absolutionem, quia illi qui dant testimonium de signis contritionis et poenitentiae infirmi, se habent quasi interpretes illius usque ad illud instans, quo amittit sensum; exinde vero jam non utitur sensu neque discursu; et de hoc certificatur sacerdos in præsentia, quando videt nullo modo neque in genere, neque in specie posse infirmum se explicare, et tamen constat adhuc vivere ex pulsu, vel palpitatione cordis: et aliunde illi qui se habent ut interpretes explicant poenitentiam, quam petivit infirmus:

hoc autem semper Ecclesia iudicavit pro sufficienti præsentia ad hoc iudicium sacramentale, quia semper præcipit ut talis absolvatur, ut constat ex Concilio Carthaginensi IV, capite LXXVI, et ex Concilio Arausiano primo, capite XII, et ex S. Leone papa in epistola LXXXI, ubi sic inquit: « Quod si aliqua aegritudine fuerint aggravati, ut quod paulo ante posebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia his fidelibus circumstantium prodesse debebunt, ut sic et poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur. » Et eodem prorsus tenore citata Concilia loquuntur.

LXIII. Neque dictæ auctoritates explicari possunt de sola absolutione ecclesiastica a censuris (ut aliqui dicunt) sed etiam de sacramentali, nam loquuntur generaliter de omnibus, qui in talem casum inciderint, non distinguendo de excommunicatis, et non excommunicatis: constat enim non omnes qui in talem aegritudinem incidunt excommunicatos esse, et tamen de omnibus generaliter citata jura loquuntur: et præsertim, quia illa poenitentia, et reconciliatio conceditur propter summam necessitatem tunc urgentem ad evitandam damnationem æternam: ad hoc autem poenitentia sacramentalis necessaria est, non sola absolutio a censuris, quæ etiam in jure non solet vocari poenitentia absolute. Hoc ergo semper fuit in usu in Ecclesia, ut talibus infirmis confessionem petentibus possit ex aliorum testimonio dari absolutio: neque hoc damnatum est, vel prohibitum in decreto Clementis, sed confirmatum in rituali Pauli. Qui enim sic confitetur, quasi per interpretem confiteretur (quod semper licitum est) scilicet per testimonium eorum qui audierunt: et alias est sufficienter præ-

sens ut certificetur sacerdos quod ipse non mutavit voluntatem, cum videat carere sensu, ex quo petivit confessionem: et ad hoc servit illa præsentia hominis moribundi, non ut ipse aliquid operetur modo humano, sed ut constet illum non mutasse priorem voluntatem: et sic secure absolvitur, et ad minus sub conditione omnino debet absolvi.

LXIV. Et ad instantiam argumenti, quod si ita est, posset etiam sacerdos absolvere dormientem, cuius peccata per litteras cognovit, et ipse incipit dormire post litteras missas, et sic non mutavit voluntatem, respondetur etiam, quod non est eadem ratio, quia illum potest facile excitare a somno, vel paululum expectare, et sic ab ipsomet accipere confessionem: quod nullo modo potest fieri cum infirmo, qui omnino sensum amisit. Debet tamen advertere confessarius, quod illi qui dant testimonium, non sufficit solum dicere ostendisse signa devotionis, vel doloris quomodocumque, sed talis, quæ sit petitio confessionis, vel ad illam ordinetur, quia solum hoc modo est materia sacramenti.

LXV. Ad quartum dicitur, quod integritas quæ essentialiter requiritur ad confessionem, est integritas quæ hic et nunc est possibilis humano modo; et hæc quæ est possibilis, semper est necessaria, ita ut si omittatur, sacramentum sit nullum. Similiter præsentia quæ requiritur essentialiter ad confessionem, est illa quæ potest notificare et certificare sacerdotem de statu poenitentis tunc, quando absolvit; quod solum potest fieri duobus modis, aut quia confessio sit in ejus præsentia, quia ea quæ facta est in absentia, relinquit hominem in statu in quo jam non potest mutare voluntatem: quamdiu autem est in statu mutandi illam, absolutio est

nulla, quia quantum est de se datur absolutio, etiamsi alter peccet de facto, et nolit se subicere clavibus: quod est mutare materiam sacramenti, et non certificare de illa sacerdotem.

LXVI. Ad ultimum respondetur, hanc præsentiam sacerdotis non postulare diversam institutionem ab ea, qua institutum est hoc sacramentum per modum iudicii sacramentalis; quod in hoc differt a iudicio forensi et externo, quod hoc non tollit culpam prout est in animo et voluntate peccantis, sed prout est in allegatis et probatis, seu in ipsa opinione et fama hominum; iudicium autem sacramentale tollit culpam prout est in ipsa anima et voluntate, unde debet tollere omnem culpam, quæ est usque ad illud instans in quo profertur absolutio, quia una culpa sine alia tolli non potest: ergo usque ad illud instans debet certificari sacerdos de statu poenitentis, et quod non mutet voluntatem conversionis, alias proferret formam absolutionis, quæ de se compateretur cum actuali peccato. Quare sicut in iudicio forensi certificatur iudex per processum et acta de statu ipsius causæ, non tamen hæc certificatio dependet a dispositione interiori, quam habeat ipse reus hic et nunc, sed ab allegatis et probatis; et sic dummodo ista sint præsentia, non requiritur alia præsentia ipsius rei; ita in iudicio sacramentali debet certificari iudex de statu ipsius causæ, non prout in allegatis et probatis extrinsecis, sed prout est in animo et voluntate ipsius rei, usque ad instans quo profertur absolutio, quæ etiam manifestatur per allegationem; et hæc debet esse confessio præsens, quia alia non sufficit certificare de tali animo.

LXVII. Quod attinet ad matrimonium, certum est quod etiamsi ce-

lebretur in actuali peccato, validum est, non autem sacramentum poenitentiae, si fiat in actuali peccato cognito, neque enim ordinatur matrimonium ad remissionem peccatorum, nec requirit eorum cognitionem, sicut poenitentia. Cæterum non est in hoc vis argumenti, sed paritas stat in hoc, quod etiam necesse est contrahentem certificari de consensu alterius conjugis tunc, quando celebratur contractus: sicut sacerdos debet certificari de statu poenitentis tunc, quando profert absolutionem, et tamen potest contrahens certificari per scripturam, et per procuratorem de voluntate alterius: ergo etiam sacerdos poterit certificari sic de statu poenitentis, et de voluntate illius per internuntium, seu per litteras.

LXVIII. Sed respondetur, esse latam differentiam inter certificari per modum contractus de voluntate alterius contrahentis, et certificari per modum iudicii de voluntate ipsius poenitentis, nam ille qui certificatur de voluntate alterius prout requiritur ad contractum, non pertinet ad ipsum disquirere et iudicare de alterius voluntate, an sit bona vel mala, neque si datur vel non datur talis voluntas in animo interiori, sed sufficit cognoscere expressionem consensus alterius partium, quomodocumque manifestetur, sive in præsentia sive in absentia: quod autem alter possit tunc mutare voluntatem, non pertinet ad ipsum contrahentem id scire, nisi exterius manifestetur; nam etiam quando conjuges sunt præsentis, potest unus negare consensum interiori, non manifestando exterius, eritque nullum matrimonium; at vero quando certificatio fit per modum iudicii de voluntate alterius, habet jus sacerdos ad inquirendum de ipsa voluntate interiori, quous-

que proferat formam, quia potest etiam retinere et negare absolutio- nem, si viderit mutari voluntatem; quo jure privatur, si in absentia poenitentis absolvat, quia hoc ipso profert absolutionem super indebitam materiam.

LXIX. Alii etiam sumunt necessi- tatem hujus præsentia ex verbis formæ absolvo te; et illud verbum te dicit præsentiam physicam, sicut in consecratione panis ly hoc dicit panem præsentem, nec potest sacerdos absentem panem consecrare, sicut nec designare. Non tamen apparet tanta vis designativa rei præ- sentis in pronomine te, sicut in ly hoc; nam tu et ego correlative se habent; potest autem pronomen ego dirigi ad absentes, sicut et pro- nomen te, ut patet quando aliquis absens absolvitur a censuris, et Pau- lus I ad Corinth. v dicit: *Ego qui- dem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, etc.* at vero ly hoc, prout est designativum rei, solum ad præsentem dirigi po- test.

LXX. In calce hujus difficultatis adverte, quod quia aliqui dicunt Clementem VIII, vivæ vocis oracu- lo declarasse, etiam infirmum in absentia non posse absolutionem percipere, quando privatur sensi- bus, et sacerdos supervenit, jussis- seque deleri ex quodam libro, dici- mus hoc non esse verum; quin po- tius, cum id postularetur, ut in ex- purgatorio sanctæ inquisitionis de- leretur a prædicto libro, ostensum est decretum Romæ quo jussum est non deleri, sicque permissum, nec ille liber est notatus in expurgato- rio.

ARTICULUS V.

Quid sit res et sacramentum simul in poenitentia?

I. Supponimus vulgarem distinc- tionem in quolibet sacramento re- pertam, quod aliud est sacramen- tum tantum, aliud res tantum, aliud res et sacramentum simul. Sacramentum tantum est illud, quod solum habet rationem signi, et non significari, quod solum con- venit rei illi sensibili, quam in sa- cramentis videmus, ut ablutio ex- terna in baptismo, unctio in con- firmatione, species in eucharistia. Res tantum, est res significata, et nullo modo significans, sicut gra- tia in sacramentis, quæ non datur ad significandum, sed ad sanctifi- candum. Res et sacramentum si- mul est illud, quod est effectus sa- cramenti, qui de utroque partici- pat: est enim res significata res- pectu sacramenti exterioris, a quo ef- ficitur, et est significativa gratiæ modo invisibili et interiori, quia ad hoc ipsum datur, sicut character in baptismo, qui est signum Christi et gratiæ, significatur autem et ef- ficitur per baptismum.

II. Supponimus secundo, in om- nibus sacramentis ista tria inveniri, licet aliqui ex antiquis, ut refert Pa- ludanus in iv, dist. xiv, quæst. iv, artic. II, negaverint reperiri in om- nibus sacramentis id quod est res et sacramentum simul, scilicet in matrimonio, poenitentia et extrema unctione; sed constans est theolo- gorum sententia, in omnibus sa- cramentis id reperiri: nec enim est ratio, cur aliquod ex sacramentis privemus tali effectu et perfectione, cum in aliis pluribus ponamus. Constat enim in confirmatione, ba- ptismo et ordine hunc effectum re-

periri, scilicet characterem, qui per ista sacramenta imprimitur. In eu- charistia ipsum corpus Christi ut sacramentatum et contentum in speciebus, est effectus ipsius sacra- menti, seu verborum formæ, et ul- terius est cibus efficiens et signifi- cans gratiam cibantem. In matri- monio, ipsum vinculum conjugale ut significativum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, atque ipsius gratiæ matrimonialis: in extrema unctione est quædam interior devo- tio, seu lætitia, aut roboratio spei in Deum, ut tradit S. Thomas in iv, dist. xxiii, quæst. I, art. II, quæs- tiuncula III, ut infra magis explica- bimus; cur ergo similis effectus ne- gandus est poenitentia? Et inquiri- tur quid illud sit, et in quo consis- tat.

III. Communis et vera sententia, est, quam explicat S. Thomas in hac quæstione lxxxiv, art. I ad tertium, et in quarto distinctione xxii, quæst. II, art. I, quæstiuncula II: « Quod interior poenitentia, seu con- tritio est res et sacramentum si- mul; » additque loco citato dist. xxii: « Quid est res et sacramentum simul, quatenus illa contritio ex ab- solutione sacerdotis ordinatur et disponit ad ipsam gratiam. » Omit- timus enim hic illam sententiam, quæ attribuitur Paludano et Capreo- lo, quod scilicet res et sacramentum simul est quidam ornatus spiritua- lis, qui disponit ad gratiam; quæ sententia communiter rejicitur, quia non explicat quid sit iste ornatus, et quomodo ad gratiam disponat. Esse enim ornatum est aliquid ge- nerale, et commune omni qualitati, et accidenti perficienti subjectum, unde etiam ipsi contritioni conve- nit esse ornatum spirituale sub hac generali ratione; et sic dicendo quod est quidam ornatus, non ex- plicatur aliquid distinctum a con- tritione, sed commune illi: si au-

tem est aliquid distinctum, oportet explicari quid sit, cum non sit ha- bitus, vel actus virtutis; hoc enim convenit poenitentia. Similiter dis- ponere ad gratiam sufficienter fit per auxilia divina, et per actus et habitus supernaturales. Quomodo ergo disponit ille ornatus, cum non sit actus, vel habitus virtutis (id enim etiam habet poenitentia) ne- que est auxilium divinum.

IV. Quare sententia hac omissa, circa sententiam S. Thomæ, quod interior poenitentia sit res et sacra- mentum simul, plures difficultates se offerunt, ex quarum solutione explicabitur, qua ratione contritio possit esse effectus sacramenti, et consequenter res et sacramentum simul. Et difficultates ad hoc punctum reducuntur, quia con- tritio, seu poenitentia interior ha- bet condiciones repugnantes, ut sit res et sacramentum simul; ergo. Antecedens probatur discurrendo per condiciones requisitas ad hoc, ut aliquid sit res et sa- cramentum simul, nam in primis debet esse effectus causatus ab eo, quod est sacramentum tantum; sicut character causatur a bap- tismo. Unde supponit, quod id quod est sacramentum tantum, sit in se constitutum et compositum, ut pos- sit causare talem effectum; at vero contritio non supponit constitutum sacramentum, a quo causetur, quia est pars constitutiva illius ut dictum est; ergo non est effectus ejus.

V. Secunda conditio est, quod res et sacramentum non sit causa, ne- que antecedit ipsum sacramentum; id enim sequitur, ex eo quod est ef- fectus illius: at contritio est causa confessionis sensibilis et externæ, quia confessio est expressio quædam doloris interni de peccatis: ergo si contritio antecedit confessionem, et causat illam, antecedit et causat ipsum sacramentum, quia confes-